



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Disputatio VII. De ipsa Visione Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

DISPUTATIO VII.

De ipsa visione Dei.

Uid sit visio? An sit ipsamet species expressa creata? Est materia juris Philosophici: Diximus autem universaliter, quod omnis intellectio sit similitudo, seu species expressa objecti, quod etiam per experientiam quisque suam probat; Ergo idem dicendum de visione Dei: Quia ipsa visio non beabit nos, ut quod; hoc enim spectat ad aliquid in creatum, sed ut quo, tanquam ratio applicans nobis beatificativum. Consultantur Animastici, & Philosophi morales, in hac parte: Pergen-
tum est ad purè Theologica.

QUÆSTIO I.

De supernaturalitate Visionis.

Uid sit supernaturale tracto alibi. Nominè supernaturale breviter intelligitur illud, quod superat quamcunque actua-lem, vel possibilem creatam Naturam: Quæritur ergo in præsentia: An omni possibili Intellectui creato sit supernaturalis visio?

DIFFICULTAS I.

An omni Intellectui, & creato, & creabili supernaturalis visio?

Possè esse alicui Intellectui creato visionem connaturalem, & viribus ejus naturæ debentem, affirmant Major. & non negat Mol. Valentia. Rip. inclinante Arriaga d. 5. n. 39. Oppositum sentiunt alii gravissimi Auctores. *Sic*

Punctum Difficultatis I.

Impugnatur Implicantia, quæ stant pro impossibilitate visionis Dei viribus creatis.

IMPLICANTIA est: Implicat creatura natura sua impeccabilis: Sed si daretur creatura cui connaturalis foret Dei visio, hæc creatura esset connaturaliter impeccabilis: Ergo non potest: Major probatur Auct. SS. PP. Quia omnis creatura ex eo, quod sit ex nihilo, defectibilis est; si defectibilis, definere potest; si definere potest, amittere esse potest; si amittere esse potest, etiam illo malè uti potest, adeoque peccare. Rursus, si definere potest, alterari potest; adeoque peccare; quia peccare est alterari. Jam autem certum est creaturam videns Deum, esse impeccabilem naturaliter.

RESPONDETUR. Ex multis principiis hoc argumentum non esse demonstrativum: Nam optimis non demonstratur apud multos esse impossibilem creaturam, quæ naturæ suæ sit in-

defectibilis, idque ex suppositione, quod eam Deus creare velit, quæ suppositio utpote consequens, non minuit per illos Deo libertatem & dominium, quidquid sit de veritate hujus sententiæ; de qua in materia de Angelis.

Rursus pone creaturam illam esse defectibilem physice, unde de hoc quod malè possit uti suo esse in ordinè morali, alterarique moraliter? Item, Minor non probatur, nec aliunde probari potest, quàm quod cum assensu dissensus, cum amore odium stare non possint, quorum utrumque non demonstratur, ut vidimus alias; minusque adhuc demonstratur, si ponatur, quod posita visione, possit necdum sequi amor beatificus.

Rursus si tanti æstimandum est argumentum Majoris, quod infra ponetur, illud proportionally hinc applicari posset, quod scilicet complexum ex lumine gloriæ & intellectu sit tale, ut ei impossibile sit peccatum; & tamen illud complexum est finitum; Ergo positione alicujus substantiæ creatæ poterit æquari.

Denique cum libertas sit duplex, quædam contrarietatis, quædam contradictionis, cur non erit possibilis creatura seipsa essentialiter determinata nonnisi ad alterutrum è bonis eligendum? licet nunquam possit eligere malum, qualem libertatem agnoscimus in Deo, & in Christo D.

2. **I**MPLICANTIA est, quam sic proponit Cardinalis Palavicinus apud Avancinum. Omnis creatura rationalis suppte conditione est serva Dei, atque adeo non potest esse amica & filia Dei adoptiva ex proprio jure; sed tantum per elevationem & favorem: Quis enim dicat eum servum qui habet jus adversus Dominum, ut tractetur ab eo tanquam amicus & filius? Si autem creaturæ debetur gratia, aut visio absque elevatione, esset ex proprio jure amica, & filia adoptiva Dei.

RESPONDERI potest, quod quamvis habeatur gratia supernaturalis & visio beata, nec dum adhuc creatura definit esse creatura, atque adeo habere rationem servi. Quod inde sequitur, quia jus illud ad tractari per modum amici, & filii, est jus subditum quoad esse actuale divinæ ordinationi, sine qua non posset actu esse, ita idem fieret in præsentia: Et sicut Deus non potest facere, ne Petrus sit animal rationale, nihilominus in hoc quod est animal rationale est servus Dei, quia dependet essentialiter titulo creaturæ à Deo: Et sicut Grandes in Hispania, qui habent jus loquendi cum Rege recto capite, non hoc ipso desinunt esse subditi; quia hoc ipsum jus habent collatum à Rege, ita & in præsentia.

Dein-

Deinde respectu talis creaturæ haberet adhuc Deus jus subtrahendi sui concursus, etiam servato jure illius creaturæ; ad eum modum, quo est naturale homini præsentem socium de die videre; & tamen Deus ad hanc visionem potest subtrahere suum concursum.

Addit & bene Arriaga, sicut servus in moribus potest bene intueri Dominum, nec desineret esse servus; sic & creatura intueri potest naturaliter Deum, nec tamen rationem servi amittere. Deinde datur naturalis capacitas amicitia naturalis cum Deo, fundata in ipsa conditione naturæ; neque enim amicitia definitur per similitudinem, sed per mutuum amorem personarum rationalium; nec tamen illa amicitia eximit creaturam à ratione servi; ita nec eximeret in præsentia.

Idem mediis terminis sic proponitur à Martinon ex Ripalda, tribuente eum Ludovico de Torrez. Oportet omnes beatos esse Dei filios; Ergo vel adoptione, vel naturâ; jam autem creatura, quæ connaturaliter posset videre Deum, nec esset Filius Dei naturalis; quia non esset ejusdem naturæ cum Deo, nec esset filius adoptivus, quia ex intrinsicis principiis illud haberet; & tamen adoptio est ex beneficentia & indulgentia acceptantis, & jus ad hæreditatem conferentis.

RESPONDETUR. Quod ratio visionis, & ratio filii Dei per gratiam, non necessario connectantur, de quo etiam actum in materia de Pœnitentia.

Deinde posito quod necessario secum connectantur visio & gratia, dici posset illum naturâ suâ esse beatum, & naturâ suâ esse filium Dei, non quia ejusdem substantiæ & naturæ foret cum Deo; sed quia natura illius condistincta à Deo, identificat sibi exigentiam qualitatis supernaturalis constituentis in esse filii Dei: Esset autem adoptivus filius; quia non esset ejusdem naturæ cum Deo, & per miraculum posset Deus impedire positionem illius qualitatis. Deinde esset filius adoptivus ratione liberæ ex nihilo productionis, & adoptionis in statum existentialem.

Rursus posito quod visio traheret secum necessario titulum filiationis, negari posset Major, quod scilicet omnis filius sit, vel naturalis, vel adoptivus, eò quod divisio procedat non nisi de filiis, qui de facto dantur; de facto enim datur Christus D. filius per naturam, & fideles filii per gratiam: Sed non procedit Major de filio possibili, qualis esset hic, cui connaturalis foret visio & gratia.

Idem sic aliter proponitur apud Rip. & Mart. Implicat substantia creata continens propriâ, & principali virtute gratiam justificantem. Tum quia Scriptura dicit solum Deum esse bonum. Tum quia SS. PP. probant Spiritum S. non esse creaturam, quia ut sit bonus, benefactor

non indiget. Tum quia gratia justificans, est participatio naturæ divinæ; Participatio autem naturæ divinæ continetur in sola natura divina ut causâ principali; nam natura inferior non potest principaliter continere participationem superioris. Tum quia aliâ etiam alios justificare posset, quia eadem virtute, quâ ignis producit in se calorem, producit etiam in aliis: Si autem creatura posset justificare alias, hoc ipso Deus esset ex Aug. l. i. de Pecc. Mer. cap. 14. *Quisquis ausus fuerit dicere: Justifico te, consequens est, ut dicat etiam: Crede in me.* Sed si daretur creatura, quæ naturaliter posset videre Deum, hoc ipso contineret propriâ & principali virtute gratiam; Ergo.

RESPONDETUR. Inprimis Minorem non demonstrari: Et sicut in Physicis aliud est videre Patrem, & aliud esse filium; ita & in præsentia, & cum alia esset forma visio, & alia forma gratia, posset inter se separari. De facto etiam stat in nobis filiatio sine visione: Ergo apparet, non esse necessariam sequelam, si cui creaturæ sit connaturalis visio, fore connaturalem gratiam & filiationem Dei.

Sed insuper Major etiam non demonstratur. Scriptura dicit, solum Deum esse bonum bonitate per essentiam: Et sicut bonitas divina naturalis, non exigit, ne creaturæ dicantur bonæ naturaliter; sic nec bonitas illa, hoc est sanctitas, exigit, ne creaturæ dicantur sanctæ ex exigentia suæ naturæ: Distingueretur nihilominus illa bonitas & sanctitas à bonitate Dei, & Spiritus S. quia esset bonitas quæ pro statu existentia suæ, pendet à libertate Dei, diciturque ab alietatem in natura, quam non dicit Deus.

Porro illa participatio non deberetur naturæ tanquam causæ principali, quia non magis illi deberetur illa sanctitas, quam deberetur ipsum esse, & tamen ipsum esse debetur Deo, tanquam causæ principali.

Denique quamvis natura inferior, non possit continere participationem naturæ superioris principaliter, hoc est excellentiori modo, secundum quam phrasin, principale analogatum dicitur esse præcipuum, & excellentius in illo genere; potest tamen continere principaliter in isto sensu, hoc est ex vi suæ naturæ & principiorum intrinsicorum.

Nec inde sequetur quod alios justificare posset illa creatura; nam omnes perfectiones nostras quas physicè emanativè producimus in nobis, non possumus producere in aliis. Quando autem ignis producit calorem etiam in alio, id inde proficiscitur; quia habet à natura sua, ordinatâ accidentia ad inductionem suæ formæ, & vim disponendi sibi materiam; talis autem imaginationis nullum esset fundamentum, in dicta substantia. Et sicut malum argumentum est: Ignis generat alium ignem; Ergo & Adamas generabit alium Adamantem; sic etiam in præ-

presenti. Porro, quod hæc substantia generet, alia non generet, colligi id potest nonnisi à posteriori: ex quo inferimus, talem esse conditionem illius naturæ: tale autem quidquam à posteriori non haberetur de illa natura, præcipue cum dicat Augustinus, Justificationem ad Deum spectare solum. Quod autem Justificationem per modum satisfactionis illi substantiæ convenire non posset, suppono ex materia de In-
armatione.

Idem. Sic proponitur. Naturalibus viribus non potest quisquam disponere se ad visionem, ut definiunt Pontifices contra Bajum, & Tind. Sect. 6. c. 16. Ergo nec naturalibus viribus poterit videri Deus: nam minus est se disponere ad visionem, quam videre.

RESPONDETUR. Antecedens verum esse de præsentium rerum ordine, & de præsentibus substantiis, ad quod solum attendebant PP. & Concilia: hic autem quæritur demonstratio, non auctoritas. Consequentia etiam non est manifesta: quia laboriosior est productio caloris in ligno, quam inductio formæ ignis in lignum dispositum.

IMPLICANTIA est. Quia Deus nulli tenetur speciem suam infundere. Rursus, quia multa sunt, quæ videntur in Deo, quorum species est simpliciter supernaturalis v. g. futurorum æstium Dei liberorum, quos solus Spiritus Dei format.

RESPONDERI potest, quod Deus pro præsentium rerum ordine nemini teneatur infundere sui speciem, vel per seipsum concurrere ad sui visionem; non implicat autem teneri ad hoc in æternorum ordine ex suppositione, quod talem creaturam velit ponere.

Immo ut ante etiam dictum est, multa nobis sunt connaturalia ad quæ Deus non tenetur nos præstare suum concursum, præcipue verò actus Dei liberos & futura ab illis pendentia: si enim aliæ creaturæ rationales habent jus liberi, quod est bonum naturæ intellectus; multo magis competit istud jus Deo, ut illo in-
ter, nemo noscat eosdem.

IMPLICANTIA est, quæ utitur Esparza. Humana naturæ ex se præcisè non debet cognitionem ullam perfectiorem, quam comprehensionem suam, sed visio Dei immediata, est cognitio perfectior, quam comprehensio naturæ humanæ; nam per illam plures perfectiones attinentur, quæ nullo modo sunt communes hominibus cum Deo, redditque illa visio hominem impeccabilem, perfecte felicem, quod non competit comprehensioni sui.

RESPONDETUR. Comprehensionem secundum speciem cognitionis dividendam hoc genus, quod est cognitio, esse perfectiorem, quam quæcunque alia notitia; sed nego, quod comprehensio secundum terminos notitiæ speciei, sit cognitio perfectissima.

Quando autem dicit, quod habenti visionem Dei debeatur perfecta amicitia cum Deo, de hoc supra dictum est: Et sicut in ordine naturali non est homo ita contemptibilis creatura, ne sit dignus in ordine naturæ, amicitia Dei; sic nec erit indignus amicitia in ordine supernaturali, si hoc aliunde non probatur: Quæ amicitia non orietur ex aliqua indigentia, quam haberet Deus respectu hominis, nec ex similitudine in entitate, sed ex amore mutuo: Et sicut infinita distantia in ordine naturali, itemque in ordine supernaturali etiam positâ elevatione non obstat amicitia; sic nec in præsentibus: Et licet Deus non possit odisse ea, quæ fecit, licet ea possit odisse creatura, quæ non semper in suo amore vel odio dictamen rectæ rationis sequitur; ita & in præsentibus; quod autem de facto non do-
leamus de negata nobis hæc & nunc beatitudine, hoc inde provenit; quia nobis non est connaturalis.

Punctum Difficul-

tatis 2.

Proponitur Implicantia ex principis Thomisticis.

VERBA sunt S. Thom. hic a. 4. in corpore: *Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente; cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis: Unde cuilibet cognoscentis cognitio, est secundum modum sue nature: Si igitur modus essendi alicujus rei cognita excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei, sit supra naturam illius cognoscentis.* Huc usque S. Doctor, ex quo loco antequam formetur argumentum. P. Laurentius Pillarski, & P. Venceslaus Darowski

SUPPONUNT 1. Quod de ratione cognoscitivi, sit, quod cognoscens possit fieri alia, ut loquitur Arist. 3. de An. t. 37. fit autem alia remota per susceptionem speciei impressæ, quæ causat cognitionem objecti, & fit alia proxima, per efformationem speciei expressæ, quæ est similitudo formalis objecti, hoc est, intentionaliter continens ea prædicata, quæ objectum in quantum attractum mente, physicè in se habet: Ad eum modum quo expressio sigilli, seu sigillum expressum, continet in se ea lineamenta, quæ habet ipsum sigillum, quod est prototypum illius expressionis factæ; quia verò hæc expressio non solum in sui productione, pender ab anima noscente, sed etiam in sui receptione, fit ut inter ipsam potentiam cognoscentem, & ipsum objectum, prout stat in esse representato, deberet intercedere proportio: Quare objectum spirituale receptum in potentia immersa materiæ, debet induere modum essendi materiale, adeoque & objectum quod est actus purus receptum in subiecto immenso potentialitati, ut se conformet naturali modo essendi intellectus creati, induit

R

induit

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Bm. de Z:
D. VI

induit subesse representato, rationem objecti potentialis, & debet relucere potentia sub modo potentiali, ut se conformet naturali modo essendi intellectus creati. Illustrant hoc suppositum instantia deducta à potentia visiva, cui quando applicatur objectum sub perspicilio viridi, representat illud ut viride.

Hoc Suppositum in quantum explicat, quod & proximè & remotè fiat intellectus alia, verum est. *Sed de cetero*

NON SATISFACIT. Tum quia si inter noscentem & noscibile deberet esse proportio talis secundum quam noscatur noscibile ad modum noscentis, intellectus intelligendo non fieret alia, sed semper idem, nempe potentiale.

Tum quia ex eo, quod quidquid recipitur per modum recipientis recipitur, item ex eo quod inter recipiens & receptum, debet intercedere proportio, malè arguitur non posse representari ab intellectu actum purum, nisi sub formalitate potentialis; quod ipsum probatur, quia ut inter recipiens & receptum sit proportio, sufficit ut ipsa cognitio in sua entitate sit potentialis, hoc est, quæ potuit non esse, sed non est necesse, ut ipsum objectum sit representatum, per modum potentialis. Tum quia si objectum prout representatum deberet esse conforme potentia representanti, & illud cognosceretur, quod cognoscitur ut suppono, & non illud cognosceretur quod cognoscitur, ut probatur: Quia non ea prædicata, quæ objectum in se continet representarentur sed alia: Cum enim v.g. objectum nulla prædicata potentialia contineat, non poterunt representari sub formalitate potentialium; & cum notitia debeat representare prædicata objecti non autem noscentis, quamvis noscens prædicata potentialitatis contineat, si objectum illa non continet, non poterunt præsentari. Tum quia inter noscentem & noscibile non debet esse proportio in ratione entis, sed in ratione noscibilis; consequenter non erit necesse in eodem genere entis esse noscitivum, & noscibile.

Illa ipsa instantia de perspicillis in præsentia non suffragatur, quia si duplex appareat nasus, corrigit intellectus, non nisi unum esse, ita etiam quamvis Deus representaretur per modum potentialis, corrigeret sese intellectus. Deinde cum oculus non possit aliter rem noscere nisi secundum qualitatem medii, fit ut si perspicilla sint viridia, etiam objectum appareat viride; è contra intellectus non est determinatus, ut ita iudicet de aliis, qualis est ipse, hinc non enuntiat Deum esse creaturam, quamvis ipse sit creatura; Et sicut parum refert ceræ, quod sigillum sit aureum, vel lapideum, sed utriusque lineamenta exprimit, licet expressa illa imago sit semper ceræ; ita & intellectus poterit exprimere actum purum & actum potentialem, licet ipsa expressio sit in entitate potentialis.

His etiam omnibus manumissis, est adhuc instantia contra dictum suppositum, quia Angelus noscit materialia, nos saltem abstractivè noscimus spiritualia: Ergo non oportet esse talem proportionem inter noscens & noscibile, qualem ponit suppositum. *Hinc*

SUPPONUNT 2. Quod proportio quæ intercedit inter potentiam & objectum, similis debeat esse proportioni, quæ est inter causam & effectum; causa autem ita debet proportionari effectui, ut causa quidem excedere possit effectum, non tamen excedi ab effectui; sic & potentia potest excedere objectum, non è converso. Unde fit ut Angelus utpote perfectior, itemque Deus, possit noscere materialia, cum tamen homo non possit noscere entia se superiori intuitivè. *Hoc suppositum*

NON SATISFACIT. Tum quia non dat rationem, cur proportio quæ debet esse inter potentiam & objectum, debeat esse talis, qualis est inter causam & effectum. Tum quia quamvis cognitio sit per modum effectus, qui ponitur ab intellectu; non tamen debet hæc haberi proportio ad objectum, quod non est effectus potentia. Tum quia Angelus inferior noscit superiorem intuitivè; Ergo non debet proportio servari inter objectum & potentiam, qualis est inter causam & effectum. *Hinc ulterius*

SUPPONUNT 3. Proportionem, quæ est inter noscens & noscibile in ratione cognitionis, consimilem quam habet causa & effectus, proportionem in quam illam attendi debere non penes excellentiam specificam entis: Unde Angelus inferior potest noscere intuitivè superiorem, sed debet attendi penes gradum genericum entis, ut scilicet objectum non habeat gradum genericum entis nobiliorem noscitivo; hos autem gradus tres numerat S. Thom. cit.

1. Gradus genericus seu modus genericus essendi est, quorum, ut inquit S. Thom. *natura non habet esse nisi in hac materia individuali, seu quod idem est, entium ordo, quæ sunt materia, vel sunt essentialiter ordinata ad materiam, qualia sunt omnia inferiora Angelis, & ipse etiam homo constans materia & forma, essentialiter, ad materiam ordinata.*

2. Modus genericus rerum est, *quarum natura sunt, inquit, per se subsistentes non in materia aliqua, quæ tamen non sunt suum esse, sed sunt esse habentes.* Hoc est, secundus gradus genericus rerum est, quæ nec sunt materiales, nec ad materiam essentialiter ordinatæ. Sed sunt substantia completæ quamvis non sint à se, adeoque dicunt potentialitatem metaphysicam, licet non physicam, talesque sunt Angeli.

3. Modus essendi est entis, *quod est suum esse subsistens*, hoc est, actus purus potentialitatem etiam metaphysicam excludens.

Com-

Comparantur hi gradus ordinariè sicut sphaera inter se, sicut enim orbis Lunæ non includit superiorem, sed includitur ab illo, hic autem specie includens orbem Lunæ includitur adhuc ab alio, sic procedendo usque ad supremum; ita secundus modus essendi excellit primo, & secundum superat tertius; cognoscitiva etiam secundi ordinis attingit intuitivè primum ordinem, & alias substantias inclusas in ordine, licet non attingat intuitivè etiam tertii ordinis, hoc est Deum. *Ha suppositis, sic*

ARGUMENTUM formatur. Quodcumque modus essendi cogniti, seu objecti, excedit modum essendi cognoscitivi, objectum illud, non potest connaturaliter secundum se cognosci à cognoscente; sed Deus quamcumque substantiam creabilem excedit modo essendi, ut ratio demonstrat; Ergo secundum se connaturaliter nulla creabilis substantia cognosci potest. Maior probatur inductione, nam anima sensitiva, non potest cognoscere res spirituales; cuius non alia ratio reddi potest, quam quod habeat modum essendi, infimi ordinis; anima autem ultra partim potest noscere intuitivè spirituales, partim non; nam in corpore noscere non potest, potest extra corpus, quando jam acquiritur consimilem modum essendi, secundo ordini. Angeli autem omnes, se intuitivè noscunt; quia omnes sunt ejusdem ordinis generici. Denique Deus, qui est actus purissimus, & omnis potentialitatis expers seipsum naturaliter intelligit per modum actus puri. *Totum hoc suppositum*

NON SATISFACIT. Argumento quæ, ex supposito fundamento facto responderi potest, imprimis, quod multum probet, quia probat nec omnimodis entia secundi ordinis posse, v. g. elevari ad videndum Deum, cum entia sensitiva primi ordinis v. g. bruta, non possint ad id elevari. Deinde idem suppositum, & argumentum non probat intentum; quia non est demonstratum, quod aliqua potentia materialis, hoc est primi ordinis non possit noscere entia immaterialia. Inductio nihil probat, quia procedit de entibus, non nisi pro præsentis rerum statu.

INSTABIS 1. Si modus cognoscendi intuitivè, non sequitur modum essendi genericum expositum, sequeretur modum essendi ipsius objecti seu cogniti; cognitionem enim sequi modum essendi cogniti, est esse cognitionem talem, quæ faciat cognitum esse in cognoscente, secundum quod ipsum, seu secundum modum essendi ipsius cogniti; quod etiam tunc in illa notitia utpote intuitivè contingeret; non potest autem dici, quod cognitio sequatur conditionem objecti, & non cognoscentis.

RESPONDERI potest; Quod eo casu cognitum in formali representationis sequeretur objectum: Nam objectum repræsentaret; licet non sequeretur modum essendi ipsius objecti

quoad entitatem, quia entitas illius cognitionis, esset creata, potentialis &c. quibus omnibus assimilatur suo principio; hoc autem sufficit, ut dicatur cognitio, sequi modum essendi cognoscentis.

INSTABIS 2. Amicus. Non potest intellectus elicere visionem actus puri, nisi in se præhabeat objectum, vel speciem actus puri, ut scitur ex Animasticis: sed neutrum istorum potest naturaliter habere aliquis intellectus creatus, vel creabilis: quod ipsum probatur; Quia nulla potentia potest naturaliter exigere objectum, aut speciem in modo operandi se perfectiorem, qualis est modus operandi actus puri. Assumptum probatur: Quia potentia præexigit objectum, vel speciem ejus tanquam complementum sui ad producendum actum sibi proportionatum, ad talem autem actum, nulla potentia potest naturaliter præexigere speciem altioris ordinis, quia cum tam species, quam potentia sit connaturale instrumentum substantiæ ad eliciendam vitalem operationem, naturaliter perfectivam ejusdem substantiæ; sicut nulla substantia creata, potest exigere potentiam se altiore, aliqui posset causa principalis exigere naturaliter suum naturale instrumentum se nobilius, quod implicat; ita neque poterit naturaliter exigere altiore seu superiorem speciem, vel objectum, quam sit ipsa.

RESPONDERI potest, in primis argumentum multum probare, probaret enim, quod nec cognitione abstractivâ demonstrativâ, possit à nobis attingi Deus; dicerem enim etiam illam speciem esse excedentem. Rursus probat hoc argumentum, divinum concursum in ordine naturæ, non posse naturaliter deponi à creatura, quia concursus ille est concursus actus puri, adeoque ratione principii, perfectior creaturâ.

Directè autem respondendo distinguitur illa propositio; Nulla potentia potest naturaliter exigere objectum, aut speciem objecti in modo operandi se perfectiorem, si perfectius sit objectum non nisi entitativè, non potest inquam illius objecti speciem exigere. Nego Majorem: Non potest exigere speciem objecti, aut ipsum objectum perfectius, hoc est non connexum cum suis naturalibus principiis in ordine repræsentandi. Concedo Majorem: Hinc illa species repræsentaret objectum perfectius entitativè, sed non perfectius, hoc est, excedens vim repræsentandi naturalem.

Quod autem dicit de substantia, instrumentum se nobilius non deponente concedatur interim; Deus enim concurrens ad sui visionem, non est instrumentum, sed potius comprincipium nobilius, potest autem aliquod ens ignobilius exigere aliud tanquam comprincipium, licet illud comprincipium sit nobilius in Entitate, ut corpus humanum exigit animam rationalem. Ad maximum vera est illa propositio de

R. a instru-

R. P.
H. MŁOD
K. NOWSKI
Tom. I. et. Z.
VI

instrumentis emanativè debitis, & producibilibus; non autem de instrumentis aliunde quæsitis.

Punctum Difficultatis 3.

Recentiores Implicantia.

PRIMA IMPLICANTIA est. Quâ utitur Perez num. 17. Essentia Dei includit visionem, quâ Deus se videt; Ergo videre Deum per essentiam erit videre visionem, quâ Deus se videt, & quidem non aliter, quàm Deo manifestante liberè: Ergo Deus loquitur cuilibet rationali creaturæ videnti ipsum Deum: Nam omnis manifestatio libera, quæ vel sit immediata manifestatio proprii conceptus, vel exhibitio signorum manifestativorum, est libera locutio.

Unde ulterius sic formatur argumentum: Omnis manifestatio immediata facta cuilibet creaturæ à Deo de visione, quâ Deus se videt, est revelatio, vel locutio divina de re, quæ non potest esse manifesta, nisi per revelationem, & locutionem divinam: Sed omnis talis revelatio est supernaturalis; Ergo & illa visio.

RESPONDERI potest in primis, non esse demonstrabile, quòd non possit videri divina Essentia, & non videri personæ, vel attributa: Consequenter dici posset, Non esse demonstrabile, quòd non possit videri divina essentia, & non videri saltem clarè, quoad hoc, in quantum Deus, est visio sui ipsius.

Deinde, hoc quòd est videre visionem Dei, Deo se manifestante liberè; dupliciter accipi potest, nempe quòd se Deus manifestet liberè antecedenter, id est, habendo potestatem ponendi vel non ponendi creaturam, quæ illum ita videat; & sic nego possibilem esse creaturam, cui eo modo se manifestet non liberè Deus, quia creatura eo ipso, quòd creatura sit, antecedenter non est exigitiva essentialiter, ut existat. Deinde potest Deus manifestare se liberè creaturæ in hoc sensu, quòd scilicet, quæcunq; posita, non habeat jus & exigentiam naturalem videndi Deum, videndique visionem quâ se videt, & hoc probandum fuisset, de hoc enim est quæstio, & hujus implicantia quæritur.

Quamquam etiam ex hoc posset implicantia dicta solvi salvarique, quomodo tunc liberè videatur Deus, quia sicut posita creaturâ rationali, quæ naturaliter noscit Deum abstractivè, liber est adhuc Deus, ut concurrat ad illam notitiam; ita & in præsentia.

Vel si mavis, dicere poteris, quòd liberum sit quidem Deo se revelare, sed posita illâ revelatione non indigeat creaturâ, elevante principio, ad illud revelatum intuitivè noscendum.

Cur item non poterunt dari revelationes, quæ non sint extra vires naturæ? Et sicut quam-

vis Angelus A. videt naturaliter substantiam Angeli B. & tamen non videt actus illius liberos, ut ita fervetur bonum naturæ rationalis, quòd stat in jure secreti, ita etiam in præsentia.

Rursus assumptio illius principii; Locutio propria est manifestatio interni conceptus absolute loquendo falsa est, quia, si Dominus Deus revelaret mihi, quid cogitet Paulus, reverà tunc haberem manifestationem interni conceptus Pauli, & tamen nunc non loqueretur mihi Paulus. Deus item noscit omnes nostras cogitationes, nunquidnè omnibus illis Deo loquimur?

Quando autem adducit locum S. Pauli, quòd nemo sciat secreta Dei, nisi Spiritus Dei, locus ut sonat non est accipiendus, aliàs probaret etiam abstractivè non posse Deum nosci naturaliter, imò nec ab ipsa visione supernaturali, quia nec ipsa est Spiritus Dei: Procedit ergo locus vel de actibus Dei liberis, vel de præsentia serie creaturarum.

ADDO etiam quòd concessa hac propositione, quòd de ratione beatitudinis sit ultimum incrementum, quòd potest haberi in vita intellectuali, in qua crescimus nostris intentionibus, non sequitur tamen intentum Perez; quare enim tale incrementum non posset adhuc esse debitum secundum vim naturæ? Imò hoc incrementum, non esset summum in ordine, quia naturaliter abstractivè noscimus Deum, crescimusque per hanc notitiam, in vita intellectuali, & tamen illud incrementum non est summum ratione ordinis; possemus enim adhuc elevari ad habendam de Deo notitiam abstractivam supernaturalem; ita & in præsentia posset illa creatura naturaliter videns Deum elevari ad illius visionis actum supernaturalem producendum cum casu quo non elevetur sit productura actum visionis Dei in entitate naturalem dignior; erit ille actus supernaturalis, sicut dignior est abstractiva Dei cognitio, si supernaturalis foret. Possemus etiam crescere per attingentiam actuum Dei liberorum, ut crescunt Angeli, qui connaturaliter vident suas substantias, & per manifestationem actuum liberorum acquirunt incrementum vitæ intellectualis.

Cæterum illa Propositio, esse amabile summè in suo genere, & non propter indigentiam allativam doloris, aut corruptivam, vel impeditivam existentiae, est boni præstantia & nobilitas: Hæc, inquam, propositio instantiam habet in Deo, quia Deus de facto amat se, & noscit se tali necessitate, ut desineret illius existentia, si se non nosceret; Ergo potest esse bonum summè amabile, quamvis negatio amoris existentiam illius solveret.

INSTAT primo. Deus est talis, qui possessus quolibet gradu beatitudinis supernaturalis animi fatiatur; est enim Deus bonum, absque defectu; Ergo implicabit possideri illud, & non habere possessionem quâ possidens posset esse con-

contentus: Sed si esset possibilis natura, cui esset connaturalis visio Dei per essentiam, posset accipere ut in minori gradu Deum videret, quam posset naturaliter, imò ita accideret, quia imperus charitatis nullum habet finem & modum. Deinde una natura supernaturalis foret melior, quam alia; id est una ferretur naturali impetu ad maiorem beatitudinem, quam alia. Ergo minor beatitudine non esset contenta, imò posset esse poena aeterna videre Deum in minori gradu, quam posset naturaliter videri.

Ex quibus omnibus formatur argumentum in Camestres, Deus visus cuilibet naturæ creatæ est bonum sufficiens: Nullum bonum naturaliter debitum est sufficiens; Ergo nullum bonum naturaliter debitum alicui creaturæ, est Deus visus in se.

RESPONDERI potest argumentum habere proportionem in supernaturali visione; nam etiam in illa dantur gradus & impetus charitatis, etiam in illa non habet finem: & si dicas in supernaturali beatitudine contentari videntem mensuram, quam illi præfigit liberalitas Dei per lumen gloriæ, vel quam præfigit ipsum speculum voluntarium Deus ita & in præsentia contemplatio illa dicitur oriri ex conditione naturæ, et voluntario speculo Deo, licet naturaliter attingibili.

Ad argumentum in Camestres disting. Minor: Nullum bonum naturaliter debitum tanquam terminus, & obiectum actus, est bonum sufficiens. Neg. Min. Nullum bonum naturaliter debitum tanquam passio, vel proprietas &c. est sufficiens. Conced. Minor. Disting. q. Consequenti, nego consequentiam; Deus autem est bonum debitum, tanquam obiectum.

INSTAT 2. ex Aristot. 14. Metaph. cap. 4. ubi dicit, Essentiam Dei consistere in bonitate sufficiens; Ergo videre illam essentiam, erit beatitudo; cum autem Deus sit etiam Trinus, videre naturaliter Trinitatem, erit aliquid superabundans, bonum autem superabundans non debetur naturæ.

RESPONDERI potest, Bonum superabundans naturæ, seu excedens vires naturæ cognoscitivas & appetitivas est bonum superabundans; sed non bonum quod est superabundans ex fecunditate naturæ, & identificatum realiter sufficiens.

INSTAT 3. ex Nazianz. Orat. 2. de Pace ubi dicit: Conditionem cujuslibet naturæ intellectualis creatæ esse servilem; videre autem Trinitatem superat conditionem servilem.

Responsum huic argumento supra in simili.

Deinde hic non queritur Auctoritas, sed ratio.

SECUNDA IMPLICANTIA. Si persona putaretur creatæ, esset per suam naturam capax videntis naturaliter Deum, & esset per suam essentiam digna visione Dei, & non esset; esset quidem, quia qualibet persona per suam naturam,

est digna beatitudine, aut certe ei debetur facultas libera, eam obtinendi, neque potest eam privari naturaliter, nisi in poenam peccati; non esset autem digna, quia si spectemus ipsum bonum beatitudinis consistentis in visione Dei, per essentiam, illud est bonum plusquam sufficiens ad bonum, cuius aliquis est dignus ex sua natura, est bonum iustum, & æquale non ultra dignitatis spem, & confidentiam. Ergo.

RESPONDERI potest, dignitatem sumi posse pro sola proportionem & æqualitate geometricā; & talis non repugnat creaturæ, in ordine ad videndum Deum, daturque etiam in ipsa visione supernaturali, & naturali beatitudine, fundaturque hæc proportio in proportionem notabilis & noscibili. Secundo potest accipi dignitas proportionem & æqualitate Arithmetica, & hæc impossibilis est creaturæ, sed non requiritur ad visionem; quia nec in naturali beatitudine habetur.

Deinde Justitia illa & æqualitas dupliciter spectari potest, vel respectu actionis, quæ est beatificativa ut quo, & inter hæc & beatificandum, intercedere debet quæ sita illa æqualitas, & justitia; non enim potest esse ratio agendi ut quo, excellentior, principio activo. Secundo potest spectari illa æqualitas & justitia respectu obiecti circa quod, & cum hoc beandus non debet habere æqualitatem, ut patet in naturali beatitudine & ipsamet supernaturali.

Falsa etiam est hæc propositio: Beatitudine debita secundum vires naturæ non potest creatura rationalis nisi in poenam privari; nunquidne jam desineret tunc Deus habere rationem speculi voluntarii? Nunquidne titulo solius exercitii suæ libertatis, non posset subtrahere concursum? Et sicut in moribus Regi non additi non admittuntur ad videndam faciem Regis, idque in poenam; & nihilominus aliqui etiam ex fidelibus subditis non admittuntur non in poenam, sed ad servandam Majestatem: vel ex ordine Principis; ita & in præsentia. Ad alia solvenda

NOTO 1. de hoc ipso quæri: Cur non possit dari creatura, naturaliter omnia, ut ait Paulus, credens, sperans, etiam independentem ab unionem hypostaticam. Illa Propositio: Nemo potest videre Deum, qui non possit eum summè amare, si ly summè accipiat pro necessario vera est, nam Deus clarè visus necessitat ad amorem; sed falsa hoc sensu, quod debeat intensissimè, & excludendo amorem maiorem, amare; de facto enim hoc non habetur, etiam in beatitudine supernaturali. Nec tamen illa charitas esset substantialis, sed distincta realiter, eo quod non detur creatura, suū actum sibi identificans.

NOTO 2. Fidem naturalem, itemque actum quemcunque non distingui obiecto à supernaturali; hinc possibilis est creatura naturaliter credens existentiam incarnationis, saltem ex sup-

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Bm. de. Z.
D. VT

posita revelatione, poteritque dari creatura naturali actu subdens humanitatem Deificatam Deo: Nam & Catholici hoc non semper actu supernaturali faciunt. Quando dicitur,

Christum habere radicem nostræ fidei, id verum est de præsentium rerum ordine; maxime quoad fidem supernaturalem: Per quod etiam explicari debent aliæ Auctoritates S. Pauli.

NOTO 3. Ad cognitionem illam naturalem, quæ videretur Deus, posset absolute loquendo, concurrere etiam species impressa; cujus infusionem & comproductionem, posset deposcere illa creatura, vel saltem exigere, ut à suo intellectu agente producat. Sed posset etiam dici, quod sine specie impressâ, sed per immediatum concursum videret Deum. Concessa autem illa specie, sicut in aliis materiis, est necesse poni ejusdem excitationem, concursum divinum, &c. sic & in præsentia.

TERTIA IMPLICANTIA. Si possibilis esset talis natura, Deus esset objectum formale motivum illius per solum concursum generalem, quod multis probat; hoc autem est impossibile; quia quando effectus fit à causa secunda, per solum concursum generalem, tunc determinatio quantitatis effectus, fit à causa secunda; intellectus autem non potest determinare quantitatem visionis: Hæc enim potest esse major & minor, & intellectus ad hunc effectum, sunt æquales. Non etiam poterit fieri ab objecto determinatio visionis; quia hoc supponitur esse infinitum, adeoque quantum de se potens facere majorem & majorem intensionem; Ergo hoc referri debet ad Dei volitionem, adeoque ad concursum specialem.

RESPONDERI potest, specialitatem concursus duplicem cogitari posse; Primam, quæ sit ordinis supernaturalis, qualis de facto datur ad visionem beatam: Et alia specialitas, intra ordinem naturalem, qualis esset ad invenientiam quadraturam circuli, talisque specialitas ad illam visionem naturalem admitti posset.

Deinde istud principium quod quando effectus fit à causa secunda per concursum generalem, quod determinatio pendeat à causa secunda, universaliter falsa est, quia per concursum generalem posset venire canis ad bivium, manereque indeterminatus à circumstantiis ad unam potius viam: Quo casu determinatio illius spectaret ad causam primam.

Denique dici posset, quod jus videndi Deum secundum vires naturæ supponat hanc conditionalem, si Deus voluerit; ad eum modum, quo potestas in Angelo A. videndi secreta, Angeli B. est naturalis, illiusque exercitium naturale, supposita revelatione Angeli, cujus est secretum: Sic & in præ-

senti.

DIFFICULTAS II.

Deciditur de titulo questionis.

DICENDUM est. *Non esse possibilem creaturam, cui sit connaturalis Dei visio.*

Vidimus supra non posse hanc conclusionem à priori, & demonstratione Metaphysica probari; potest tamen demonstrari à posteriori, & demonstratione Theologica assumente principium fidei, sic. Quia & esset naturalis illa visio illi possibili creaturæ, & non esset; esset quidem ut supponitur; non esset autem, ut probatur: Quia si illi possibili creaturæ esset naturalis Dei visio, tunc visio, quæ de facto datur, non esset supernaturalis, quam tamen docet fides, esse supernaturalem. Seq. prob. quia quod est supernaturale, debet esse tale (secundum statum questionis in materia de Ente supernaturali) ut sit excelsus & supernaturalis cuicunque creabili substantiæ; Ergo si visio esset alicui creabili substantiæ naturalis, hoc ipso visio quæ datur, non esset supernaturalis.

Respicit hoc argumentum in primis principium negativum; quia scilicet quodcunque est fundamentum ex vi supernaturalitatis petibile, probans aliquid esse supernaturale omni substantiæ creatæ, idem probabit de visione.

Neque dicas illam visionem fore distinctam specie à præsentia quæ datur; dicam enim unionem hypostaticam, vel quæcunque alia entia, indubie respectu quarumcunque creabilium naturarum supernaturalia, posse esse alicui creaturæ naturalia, modo distinguantur specie.

Respicit deinde idem argumentum varias Auctoritates, quas post alios adducit Martinon. d. 8. n. 63. quæ probant visionem, esse omnino supernaturalem, & vitam æternam, esse gratiam Dei; inter quas Auctoritates est Augustini auctoritas ex Epist. 114. c. 15. *Siquæris, inquit, quomodo Deus sit invisibilis, si videri potest? Respondeo, invisibilem esse naturam; videri autem cum oculis, sicut vult.* Et inferius: *Est natura sua invisibilis & incorruptibilis, qua contentum posuit Apostolus dicens: Regi seculorum invisibili & incorruptibili, quia sicut nunc incorruptibilis, nec postea corruptibilis; ita non solum nunc, sed semper invisibilis.*

Objeit Major, Mol. Arriaga, & alii. Coniunctum ex intellectu, & lumine gloriæ, non est infinitæ perfectionis: Ergo potest æquari positione finitæ perfectionis substantiæ, eousque auctæ; ut accedat ad æquandum, coniunctum illud, ex intellectu & lumine gloriæ; Ergo & quæ naturaliter noscat divinam essentiam; quia illud constatum naturaliter noscit eandem: Quod ulterius in hoc fundatur: Quia unum finitum potest æquari ab alio finito, si creascit in perfectione.

RESPONDERI potest. Retorq. arg. Constatum ex potentia creata, & concursu divino gene-

generali, est finitæ perfectionis; & tamen illi sine ullo alio addito, connaturale est agere; Ergo poterit illud conflatum æquari ab aliqua possibili substantia, quæ scilicet se sola sit sufficiens ad agendum.

Item, conflatum ex potentia nolente & ipsa notitia, est finitum, & connaturaliter attingit objectum; Ergo illud conflatum à creabili substantiâ æquari poterit, quæ scilicet sit substantialis objectorum notitia, & intelligendo actus purus, ut Deus. Item conflatum ex ipsa præcisa ratione unionis hypostaticæ, cum naturâ creatâ, est finitum; nam unio de se est modalitas, seu formalitas finita, & non est extremum illius est infinitum, nempe personæ Divinæ; Ergo poterit dari substantia, quæ æquet illud conflatum, consequenter quæ sit connaturaliter substantia, & unio hypostatica.

Neque valet, si dicas cum Martinon. Nulli creaturæ esse connaturale, ut privetur propriâ & naturali subsistentiâ; quia conflatum illud ex ratione hypostatica & natura humana est finitæ perfectionis, estque illi connaturale, ut careat subsistentiâ humanâ; Ergo dari etiam poterit substantia, quæ æquet illud conflatum, & cui eam connaturale sit carere propriâ subsistentiâ.

RESPONDETUR 2. Quod ratio finitudinis non importet semper rationem æquandi; nam finita est perfectio quadranguli, & tamen multiplicatis in infinitum triangulis, æquari non potest: finita est perfectio cujuscumque hominis, & tamen æquari non potest, in infinitum multiplicata perfectione bruti: finita item perfectio cognitionis v.g. Angelicæ, & tamen æquari non potest multiplicata in infinitum perfectione sensationis, & similia. Sed tunc non nisi unum finitum potest æquari ab alio finito, quando attingit illius perfectio in eodem genere. Et sic v.g. calor ut tria potest æquari à colore ut unus, si non super, repetatur unitas caloris. Et certe hoc ipso, quia aliqua entia sunt diversæ rationis, non dicuntur æqualia; hoc enim ipso quia sunt diversæ rationis, disparata sunt, consequenter solvunt ab æqualitate, vel inæqualitate.

Imaginabile quidem est, quomodo entia diversæ ordinis possint aliquo modo se æquare; Si æquatio in genere moris, vel in prædicato æque communi, & ita sex floreni æreorum solent æquant moraliter unum aureum, & triplicare quantum per quantitatem ordinis naturalis, posset æquari à quantitate supernaturalis ordinis, si daretur, modo illa quantitas augeretur: quia datur æquatio in eodem prædicato formali, hoc est extensione; non potest autem ostendi, quod aucta quæcunque substantia intellectualis creata, aucta, inquam, secundum perfectionem, esset habitura aliquod commune prædicatum, cum conflato ex intellectu humano & lumine gloriæ, ratione ejus conveniat illi naturalis Dei visio.

Deinde etiam hoc posito, quod illo conflato detur aliquid perfectius, non ex eo jam sequitur quod vel formaliter, vel eminenter debeat continere inferius; sed sufficit ut vel unâ perfectione superet illud: & ita superat Angelus hominem, licet non habeat potentiam generandi quâ talem nec formaliter, nec eminenter.

Tota itaque finitas illius conflati v.g. ex intellectu humano & lumine gloriæ in hoc stabit; quia potest dari perfectior intellectus, & perfectius lumen; non autem in coæquatione à substantiâ naturali, qualem ponit argumentum.

Addi potest contra Martinon d. 7. n. 27. Quod sicut intellectus Luciferi, est perfectior virtute intellectivâ sancti Petri; & tamen hujus virtus intellectiva posito lumine elevante, sit ordinis Divini; ita posito intellectu perfectiori præ intellectu S. Petri, modò eleveretur intellectus S. Petri lumine gloriæ, erit ordinis Divini, non autem ille prior.

RESPONDERI potest 3. Negando quod conflatum ex intellectu & lumine gloriæ naturaliter videat Deum, sensu quem assumit argumentum; vel potius distinguendo illam propositionem claritatis causa. Conflatum illud ex intellectu & lumine gloriæ videt Deum naturaliter, hoc est non indiget ullo principio de novo elevante. Concedo: videt naturaliter, hoc est non involvit ullum principium elevans & supernaturalis. Nego. Quod si illud conflatum involvit tale principium, etiam substantiam creabilis, deberet illud involvere.

INSTAT I. Arriaga. Conflatum illud ex intellectu & lumine gloriæ si dicatur esse aliud, seu altioris ordinis, petitur principium; non enim potest ostendi is altior ordo, nisi supponatur lumen esse supernaturale omni creaturæ, de quo tamen est tota quæstio.

RESPONDETUR. Hoc dicendo non petitur principium; quia supponitur aliunde notum, omnia supernaturalia, esse altioris ordinis naturalibus; Supponitur item quod lumen sit supernaturale omni possibili creaturæ, secundum jam dicta; & quia in hac quæstione non attenditur, quid demonstrari possit, sed attenditur ad principia fidei; hinc bene huic argumento, secundum eadem principia, respondetur.

INSTAT I potest 2. Quidquid Deus potest per superadditam qualitatem, potest hoc ipsum per essentiam conferre intellectui; Ergo hic potest esse per essentiam visus Dei.

RESPONDETUR. Falsum Antecedens, quia non potest Deus facere, ut aqua sit essentialiter calefactiva, potest idem per qualitatem, vel per potentiam obedientialem; potest item facere ut creatura intellectualis per superadditam notitiam à se productam noscat res, nec tamen potest facere substantiam creatam, seipsa intellectivam. Ant. itaque est certum, si res non implicet.

INSTARI potest 3. Proponendo idem aliter. Ordo substantiarum creabilium, non est inferior ordine accidentium; neque enim Deus est minus potens in creandis substantiis, quam in creandis accidentibus, neque est minus participabilis per substantias, quam per accidentia; Ergo potest creare substantiam, quæ sit ejusdem ordinis cum lumine gloriæ.

RESPONDETUR. Inprimis concedendo totum, ut probetur una contradictionis pars, talem scilicet substantiam esse possibilem, & deinde opponendo argumentum propositum supra, ut ostendatur alia contradictionis pars, nempe quod sit talis substantia impossibilis.

Directè dici potest, quod ordo substantiarum non sit inferior ordine accidentium, secundum entitativam perfectionem, quod scilicet sicut accidentia possunt magis & magis perfici, ita & substantiæ: non esse tamen æqualis habitudinis, ut scilicet possit hoc connaturaliter aliqua substantia, quod potest cum accidente præcipuè elevante.

QVÆSTIO II.

De Objecto visionis.

INDUBIÈ objectum visionis est Deus, ne ergo inutilis sit quæstio, sensus tituli erit: Quenam objecta attingat visio in Deo? Divisio objecti visionis est in primarium, quod est ipsemet Deus; & in secundarium, quod sunt creaturæ; ut quæstio absolvetur commodius;

PRÆMITTO 1. *De facto videri à Beatis clarè essentiam Divinam*: quia hoc est articulus fidei, fundatus in illo 1. ad Cor. 13. videmus nunc per speculum & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem; credimus autem Divinam essentiam. Definivit id etiam Florent: in decreto de Purg. ubi ait. *Animas jam purgas mox intueri Deum trinum & unum, sicuti est.*

PRÆMITTO 2. *De facto etiam videri à Beatis Trinitatem*. Ratio est, Tum quia id docuit cit. Florent. Tum quia fide credimus etiam Trinitatem, ergo videbimus, ut salvetur locus Pauli. Tum, quia videtur Deitas etiam sub formalitate substantiæ, hinc connaturaliter loquendo videri debet etiam terminus illius, hic autem est triplex personalitas.

PRÆMITTO 3. *Videri in Deo omnes perfectiones primarias, & attributa primaria; non tamen videri omnes secundarias*. Nomine primariorum veniunt perfectiones simpliciter simplices, nomine secundariorum, aliæ, ut aliqui potentia, aliqui scientia. Prima pars prob. Tum, quia ita sentit Ecclesia. Tum, quia credimus perfectiones primarias; Ergo & videbimus, ut voluit Paulus. Tum, quia dicta verba S. Pauli derivat Aug. in soliloquiis c. 26. ad visionem attributorum primariorum. Secunda pars prob. Tum, quia expresse Scriptura multorum tali

um notitiam negat Beatis, ut videre est, Matth. 14. Isaia 63. Dan. 3. Tum, quia aliàs noscerent omnia possibilia, quorum omnium positio, est perfectio secundaria. Tum, quia alias careret Deus bono naturæ intellectualis, quod est jus secreti.

Neque valet si dicas; quod illæ perfectiones secundariæ sint essentia Dei; nam in recto sunt essentia Dei, & secundum hoc rectum noscuntur: Sed est difficultas; An noscantur formaliter acceptæ, & secundum sua obliqua.

Nec obest, quod illæ perfectiones primariæ dicantur infinitæ; non sunt enim fortè numero & extensione infinitæ sed dignitate; & si noscitur de facto attributalis infinitas Dei, poterunt bene nosci & primaria attributa infinita dignitate. His facilioribus præmissis. *Sic*

DIFFICULTAS I.

De Objecto visionis primario.

SUB hoc titulo, maxime discutiendum est: *AN notitiā intuitivā attingi possit v. g. essentia Divina; & non attingi personalitates & similia*. Non posse id fieri post Thomistas docet Suar. Vasq. Mol. Amicus d. 9. à sect. 18. Quirós d. 31. à sect. 2. Posse autem id fieri, docent Scotista, Salas, Arriaga, d. 9. Mart. d. 8. f. 9. *Sic*

Punctum Difficultatis I.

An sit possibilis inadequata Dei notitia, & tamen intuitiva?

QUÆRES 1. *Quid sit sentiendum de possibili- tate inadequata notitiæ, & tamen intuitivæ?*

ASSERO 1. *Implicare contradictionem ut visio sit formaliter præcisio*. Ratio, quia implicat contradictionem, unam formalitatem esse formaliter aliam; implicat enim unam definitionem esse formaliter aliam; Ergo etiam implicabit visionem, esse formaliter præcisionem; quia etiam hæc definitionibus differunt.

ASSERO 2. *Præcisum potest esse visum*: Sensus asserti est, quod scilicet, si primò antecedit præcisio, & sequatur intuitio, fieri possit, ut illud quod erat præcisum possit esse visum, & non abstractivè cognitum. Dixi, si præcedat præcisio, ut scilicet salvetur, quod in uno eodemque statu remanens objectum videatur; quia si post visionem accederet præcisio, mutaretur status, ut ita dicam, objecti.

RATIO 1. asserti est, quia id non implicat contradictionem, ut videbimus solvendo argumenta.

RATIO 2. quia inprimis pro sua parte non implicat intellectui præscindere objectivè, ut dictum alibi; ex alia parte, objectum præcisum, quod possit videri, sic probatur, vel objectum præci-

præcisum, & inadæquatum, est in illa ratione inadæquati, & præcisi, sicuti est in ratione illa inadæquati, & præcisi; vel non est: si non est; Ergo quod est, non est; est enim in ratione inadæquati, & non est, sicut est in ratione inadæquati: Si autem est in illa ratione inadæquati, sicuti est in illa ratione inadæquati, sicuti est in illa ratione inadæquati, potest etiam cognosci; omne enim quod est, est cognoscibile, vel noscitur: Ergo & videri intuitivè; quia videri intuitivè nihil aliud est, nisi videri sicuti est, ita, ut Iritas cognitionis mensuretur Iritate objecti. *Hoc ipsum se aliter proponitur.*

Objectum adæquatè acceptum est adæquatè sicuti est adæquatè; Ergo etiam inadæquatè acceptum, est, sicuti est inadæquatè; Ergo quemadmodum dum cognoscitur adæquatè, sicuti est adæquatè, dicitur videri adæquatè; ita dum cognoscitur inadæquatè, sicuti est inadæquatè, essentia videbitur inadæquatè; quia visio definitivè, est noscere sicuti est. Fallitur autem imaginatio oppositorum, dum hunc terminum sicuti est, sumunt pro eodem, ac pro esse physico reali.

RATIO 3. ejusdem est. Quia ponamus, quod Petrus præcindat rationem communem animalis: Quæro: An illum conceptum objectivum Petri, attingat Deus, vel non? Si non attingit, ergo omni scientia non scit omnia, nec noscit, quæ noscit homo, interrogatusque Deus quid cognoscat Petrus, deberet dicere: Nescio; interrogatusque quid concurrenit noscendum, deberet repetitò dicere: Nescio: quod si attingit, quæro: An cognoscat illud notitia intuitiva, vel non? Si cognoscit intuitiva, ergo potest præcisum cognosci intuitivè; Si autem non cognoscit intuitivè, ergo Deus abstrahit, quod est contra defendentes: & si dicas, quod Deus intuitivè cognoscat conceptum formalem, non tamen intuitivè conceptum objectivum representatum ab illo formali; Ergo similiter contra Oppositos sequetur, quod possit intuitivè nosci Pater, non nosci autem Filius; quia non est major connexio inter Patrem & Filium, quam inter conceptum representantem quæ representantem, & representatum.

Neque valet, si dicas, quod Deus intuitivè cognoscat illud animal; quia cognoscit & hoc, & illud animal.

Contra, quia conceptus ille formalis non representat hoc & illud; sed rationem communem; Ergo saltem unâ formalitate notitiæ, debet attingi, illa ratio communis. Dixi unâ formalitate notitiæ, ut ita ostendatur Deum non præcindere formaliter, sed æquivalenter: Sic enim illa notitia etiâ particularia non attingeret, præcinderet formaliter, abstraheretque; ut nos.

Dices. Non est major ratio, cur repugnet visio sit formaliter præcisi; & non repugnet præcisum videri.

RESPONDETUR. Rationem hanc esse, quia in illo priori sequeretur formalitatum confusio, & definitionum; quæ in asserto secundo non sequitur, ad eum modum, quo album potest esse dulce, licet dulcedo, non sit formaliter albedo.

QUÆRES 2. *Quid sentiendum sit de visione Essentia, & Personarum?*

ASSERO 1. *Essentiam Divinam præcisam à personalitatibus posse videri.*

RATIO 1. est, quia id non implicat, ut videbimus solvendo argumenta.

RATIO 2. Quia non implicat formalitatem aliquam præcisam, nihilominus intuitivè nosci, ut dictum sup. Asserto 2. Ergo etiam poterit nosci ratio essentia, sine personis; non enim est, cur, si alia præcisa, intuitivè noscibilia sint, non sit intuitivè noscibilis, essentia præcisa.

RATIO 3. à pari. Prima paritas, potest communicari natura, & non communicari paternitas; Ergo & videri. Secunda Paritas, potest uniri immediatè persona Verbi & non uniri immediatè natura, ergo & videri; quia si aliqua distinctio est sufficiens ad salvanda prædicata hæc: Communicari, & non communicari, quæ sunt prædicata physica, quare sufficiens non erit ad salvanda hæc prædicata: Intuitivè nosci, non intuitivè nosci? Tertia Paritas, quia non minùs identificantur realiter perfectiones secundariæ Dei Deo, quàm personalitates. Ergo si potest per omnes videri essentia Divina; & non videri perfectiones secundariæ, poterit etiam videri essentia non visis personis.

ASSERO 2. *Non est possibile videri unam personam in ratione talis personæ, & non nosci aliquo modo aliam personam, correlativè respondentem, qualis est correlatio personæ Patris, ad personam filii.*

RATIO est, quia & videretur tunc illa persona in ratione talis, & non videretur; videretur quidem ut supponitur; non videretur autem, quia est impossibile nosci relativum, & non nosci ad aliud: cum definitivè sit ad aliud: sed tunc non nosceretur ad aliud; quia illud aliud, dicis, nullo modo attingi.

ASSERO 3. *Non est possibile unam personam correlativam videri visione adæquata, & non videri aliam personam correlativam.*

RATIO est, quia & videretur adæquatè illud correlativum, & non videretur adæquatè; videretur quidem adæquatè ut supponitur; non videretur autem adæquate, quia non videretur id quod inadæquata suâ ratione importat, nempe terminum.

ASSERO 4. *Esse possibile videri unam personam correlativam visione inadæquata, & non videri aliam personam, sed tantummodo nosci utrunque.*

RATIO 1. est ex jam dictis, quia scilicet id non implicat: deinde major est identitas inter naturam v. g. & paternitatem, quàm inter paternitatem & filiationem; & tamen potest communicari essentia, non communicari paternitas;

Ergo

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Omd. d. e. Z.
D. VI
S.

Ergo & multò magis videri paternitas non visâ filiatione. Item non magis essentialiter in ratione etiam respectivi importat omnipotentia v. g. N. equum possibilem, quàm importat v. g. paternitas filiationem; quia sicut ad aliud, paternitas est, hoc est ad filiationem; ita ad aliud est, etiam omnipotentia; & tamen potest nosci omnipotentia intuitivè, & non nosci N. equus possibilis; Ergo etiam poterit nosci intuitivè paternitas, & non nosci intuitivè filiatione.

Neque valet si dicas, quia omnipotentia est ad plura, & paternitas non est nisi ad unum, reddit enim argumentum factum. Relativum ad omnia, potest nosci intuitive, non cognitis intuitive omnibus, sed tantum aliquo modo; Ergo & relativum ad unum, nosci poterit, non cognito intuitive illo ad aliud, uno.

RATIO 2. est, quia potest dari lumen gloriæ, quod intuitivè repræsentat omnipotentiam, & non terminos illius; Ergo etiam poterit dari lumen intuitivè repræsentans paternitatem, & non repræsentans intuitivè filiationem. Neque valet si dicas, quod termini omnipotentia, non sint ejusdem rationis cum omnipotentia; sunt enim creaturæ; jam autem paternitas & filiatione sunt termini ejusdem rationis in ratione Divini: non inquam valet, quia etiam creaturæ in ratione creaturæ sunt termini ejusdem rationis, & tamen potest in Omnipotentia repræsentari una creatura, quin repræsentetur alia. Deinde in intuitiva non est necesse attingi terminos connexos essentialiter, si sint diversæ rationis salvâ formalitate intuitivæ; Ergo eadem salva, non erit necesse nosci terminos ejusdem rationis.

RATIO 3. est. Non est necesse ut ex vi comprehensionis unius correlativi, sequatur comprehensio alius correlativi, & ita quando Angelus comprehendit creaturam, non est necesse, ut comprehendat creatorem; Ergo etiam non est necesse, ut ex visâ filiationis unius correlativi, sequatur visâ filiationis alius correlativi.

RESPONDET 1. Suar. Majorem esse connexionem inter relativa in ordine ad cognosci, quàm in ordine ad uniri, nam v. g. scientia non potest nosci sine scibili; in omni tamen intellectu unitur noscenti sine scibili.

CONTRA est. Tum, quia vidimus supra, quod relativa omnipotentia intuitivè nota, non exigit intuitivè nosci terminos omnes. Tum, quia nego hoc ipsum non posse scilicet scientiam pro qualitate, ut supponimus, acceptam, vel habitu, nosci intuitivè, non cognito intuitivè scibili. Tum, quia quamvis concedamus, quod correlativa magis sunt connexa ad cognosci, saltem quomodolibet quàm ad uniri; nego tamen ex dictis, magis esse connexa, in ordine ad nosci intuitivè.

RESPONDERI potest. Ex eo personam Verbi posse terminare unionem; quia hæc ter-

minatio cum sit personalis, & singula personæ habeant suas distinctas personalitates, poterit una terminare, quin terminet alia: at verò visio, est communis toti Trinitati.

CONTRA est. Tum, quia concedo communem esse toti Trinitati visionem hoc sensu, quia unaquæque persona videri potest; sed nego esse communem toti Trinitati hoc sensu, quod si una videatur, debeat videri alia. Tum, quia sicut unaquæque persona habet propriam suam personalitatem, ita habet suam cognoscibilitatem; quomodo enim possem dicere, quod habeat propriam personalitatem, si non est cognoscibile, quod habeat propriam personalitatem: Ergo & visibilitatem & intuitibilitatem.

ASSERO 5. *Posse videri unam personam, non attactâ aliâ ullo modo, si disparatè se habeat, v. g. posse videri paternitatem, non visâ spiratione passiva.* Ratio, quia sunt & distincta realiter, & nullo modo connexa.

QUÆRES 3. *Quid sentiendum de visione Attributorum.*

ASSERO 1. *In sententia illorum, qui de conceptu essentie dicunt esse Attributa, non posse videri essentiam sine attributis.* Ratio, quia impossibile est videri hominem, & non animal rationale: Ergo etiam &c. siquidem illa sunt de definitione essentie.

ASSERO 2. *In sententia de primo essentiali conceptu Deitatis Attributa non ponente, in primis videri possunt Attributa secundum rationes communes, non attingendo ullo modo Deitatem.* Ratio, quia sic sumptæ rationes communes præscindunt à Deitate, ex alia parte rationes præcise possunt intuitivè nosci.

Rursus accipiendo Attributa secundum quod sunt à parte rei, non potest videri rectum unius, quin videatur rectum alius. Ratio, quia idem habent rectum nempe Deitatem; Sed possunt non videri secundum suam connotata: quæ enim in hoc implicantia? atque ita potest videri Deitas sine connotato, quod est sublevatio miseriæ, adeoque sine misericordia.

ASSERO 3. *Accipiendo Attributa pro formalitatibus, seu formis quibusdam metaphysicis Divinis, potest concipi unum, quin concipiatur aliud, adeoque & videri.* Quod possit concipi suppono ex materia de Præcisionibus: quod possit videri, Probatum est in quæsito 1. Asserto 2.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

SUPpono quid sit cognitio intuitiva, & quidem pono quod rigorosè loquendo non sit idem, quod scientia visionis, quamvis passim hæc duo confundantur; Ratio est, quia cognitio, quæ habetur à Deo de possibilibus, non est cognitio visionis, ut scitur, & nihilominus salsum

non est dicere: quod Deus abstrahat, & abstrahat non nosciturque utendo phrasi communi, non noscitur illa possibilis per alienas species, aut per modum alius. Per hoc autem inter se distinguuntur, quia visio respicit existentiam qualem, intuitiva autem, formatur formalitate simpliciter propria: jam verò hæc formalitas stat in hoc, quod est noscere objectum secundum quod ipsum, & sicut est; ita ut modus seu ita cognitio, respondeat modo ita & sicuti objecti. Porro hoc ipsum quod est noscere ita, sicut est objectum, dupliciter potest accipi; vel noscere conformiter ad objectum, & hoc, commune est omni notitiæ veræ; vel noscere eo modo, ut ita & modus notitiæ, proportionetur ita & modo objecti, & hoc spectabit ad intuitivam. Ita v. g. quando nos demonstramus existentiam Dei, demonstramus conformiter ad objectum, cum ipsum objectum existat; quia tamen modus, & ita illius notitiæ, non est proportionatus, modo ita objecti; nam concipimus Deum, vel per modum personæ venerabilis corporeæ, vel per modum lucis, sit ut illa demonstratio, non sit notitia intuitiva.

PROBATUR bonitas explicationis 1. Auct. S. Pauli, qui intuitivam Dei per hoc definit, *videmus eum sicuti est*, quasi diceret; Ita notitiæ, respondebit ita objecti.

Deinde, quia communes explicationes non satisfaciunt: nam si dicas quod intuitiva noscat objectum non per modum alius; rem positivam explicabis per conceptum negativum, ac si intuitivam albi, explicares, per intuitivam non per modum nigri.

Item si dicas, quod intuitiva habeatur per proprias species, vel per concursum immediatum objecti; E contra quia sine utroque potest Deus determinare intellectum ad producendam notitiam intuitivam. Quod si recurras, debere illam notitiam proficisci ab aliquo defectum objecti supplente; contra, quia malè quia describeret albedinem, quod sit dealbativa nisi dealbandum assumatur in genere efficientis regredi.

Denique, quia hoc quod est noscere non per modum alius, potest revocari ad dictam explicationem tanquam conceptus negativus; hoc quod est procedere per proprias species revocari potest tanquam id quod ordinariè contingit. *hic posito*

OBJICITUR 1. Auctoritas 1. est S. Script. ubi Christus D. alloquens Philippum Joan. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.*

RESPONDETUR 1. Quod alia sit hæc propositio: visio filio videri & Patrem, & alia hæc visio Filio, videri debere indispensabiliter Patri; Prius illud dicit Christus D. non postea, beneque illum locum accipere possumus visionem ordinariam, vel de visione sumptam pro

qualicumque notitia, quo etiam modo explicandus est Aug. in Psal. 85.

Deinde, Christus D. loquitur illic non de visione corporali: Pater enim non habet corpus, non etiam de intuitiva, de quâ hic; quia illa, in via, Apostolis non competebat; Ergo debuit loqui vel de visione per fidem, vel de visione lato modo, hoc est, notitia abstractiva; inde autem non sequitur, visio rigorosè filio, debere rigorosè videri & Patrem.

Denique hunc locum non debere intelligi de visione Essentiæ Divinæ docet Salaz, Tolemus, Vasq. Granadus autem adfert hanc explicationem; quia Christi D. etiam quâ hominis tanta fuerit cum Patre consensio, & connectio, ut qui eum fide, quâ deberet, cognosceret, scire consequenter posset, eum esse filium æterni Patris connaturalem.

2. Auctor. est S. Thom. ex 2. 2. q. 2. a. 4. ad 3. Sed illic loquitur de solâ lege ordinariâ.

3. Auctoritas est ex 3. p. q. 3. a. 3. Sed illo loco tantum loquitur S. Thom. de abstractione negativa, quæ negat personas de Deo, quæ quia falsâ est, non potest esse objectum veræ visionis Dei; sed non loquitur de abstractione ablegativa, quæ nec affirmat, nec negat.

OBJICITUR 2. Est impossibile existere aliquid à parte rei, & tamen inadæquatè; Ergo etiam est impossibile videri inadæquatè; quia visio, est ad rem, sicuti est.

RESPONDETUR. Neg. Conf. disparitas est, quia si aliquid inadæquate existeret, idem unumque distingueretur hoc ipso realiter à se ipso, ut distinguuntur Ens, & non Ens: Si autem videatur una formalitas non visâ aliâ, non sequetur distinctio realis. Probationi Conf. mox respondebitur.

OBJICITUR 3. Illa notitia & esset intuitiva, & non esset; esset quidem ut supponitur; non esset autem, quia ad rationem intuitivæ spectat, ut non aliter sit in mente noscentis, quàm sit in se ipsa; nam intuitiva est circa rem sicuti est, ergo cum v. g. Divina Essentia, non sit sine personis; non potest nosci sine personis.

RESPONSIO 1. Communis est, quod de ratione intuitivæ non sit, omnes formalitates objecti attingere. Illustratur hoc 1. visione corporeâ; oculus enim cognoscit intuitive albedinem, nec tamen videt, an sit modus, an qualitas realis?

Neque valet si dicas, quod illa prædicata non cadant in sensum, nam si stare potest intuitiva omnibus non visis, si non sint visibilia corporaliter, quare intuitiva stare non poterit, si non videantur omnia, quamvis sint visibilia? ex eo, quia vel deficit lumen, vel denegatur concursus Divinus ad reliqua videnda.

Rursus, videndò albedinem intellectio conjuncta illi visioni est intuitiva, & tamen non habet vim discernendi omnes formalitates; & ex quocun-

R. P.
H. MŁOD
NOWSKI
Bm. d. e. Z.
VI

quocunque principio fieri potest, ut tunc non omnes formalitates intuitivæ attingantur, idem fieri poterit ex defectu luminis, concursus Divini &c. ne omnia intuitivè attingantur. Et sic ut si daretur oculus essentialiter determinatus, nonnisi ad videndum album, hoc ipso connaturale esset illi non videre nigrum: ita & si datur concursus determinatus nonnisi ad intuendam certam formalitatem, connaturale illi erit, nonnisi unam formalitatem videri.

Neque valet, si dicas, quòd sicut non possit dari concursus ad videndam albedinem, qui non videat albedinem, ita non poterit dari concursus ad videndam essentiam, & non personas, cum ipsæ sint realiter essentia, non valet inquam: nam primò albedo non distinguitur virtualiter à seipsa. Deinde unum idemque & ratione ejusdem videretur tunc, & non videretur: quod non sequeretur, si visā essentia, non viderentur personæ: de quo in materia de præcisionibus.

RESPONDETUR 2. secundum communia principia. Ad rationem intuitivæ adæquatæ spectare, ut res non aliter appareat in mente noscentis, quàm sit in seipsa, sed non spectare id ad rationem intuitivæ, inadæquatæ.

RESPONDETUR 3. Deratione intuitivæ esse, ut videatur res sicuti est, non hoc sensu, sicut existit physicè; sed hoc sensu, ut ita objecti, & ita cognitionis inter se commensurentur, quod jam explicatum est.

INSTABIS. Si per impossibile in Deo foret nonnisi una persona, non posset tunc videri natura non visā personā; Ergo cum non minùs identificet sibi natura Divina tres personas planè atque una esset, non poterit videri sine illis.

RESPONDETUR in primis etiam Ant. esse falsum, supposito si formari posset distinctio inter naturam & personam ratione connotatorum: sed misso Antecedenti, negatur consequentia; Disparitas est, quia fortè tunc non haberetur fundamentum præscindendi illas duas formalitates, adeoque nec videndi unam sine alia.

Concedimus quidem quod sublatā per impossibile unā personā, tolleretur natura Divina; quia nisi tolleretur, sequeretur distingui realiter naturam & personam: sed hoc absurdum non sequeretur, si videatur una persona, vel una perfectio, non visā alia.

Ad multas objectiones, quæ desumi possent ex Quiros negante præcisiones objectivas, quales admittimus, solvendas.

NOTO 1. Quòd illa visione videnda sit natura, non sicuti est in ratione adæquata, & physicè; sed tamen sicuti est in ratione inadæquata, per ita cognitionis, proportionatum, ad ita objecti. Et quamvis connexa non possint attingi, quin attingatur utrumque, potest tamen aliud attingi intuitivè, & non aliud.

Quod autem dicit, Intuitivam debere esse per proprias species, id jam negatum est: sed etiam hoc concessio, nego quòd ratio aliqua præcisa, & inadæquata, non possit habere propriam speciem, inadæquatam sui esse.

Casu quo res supponatur indistincta virtualiter, habens tamen diversam definibilitatem & connotata, poterit bene videri una, quin videatur alia, secus si etiam non habeat diversa connotata; nego enim cognitionem abstractivam illam esse, quæ rem noscit secundum ordinem ad connotata extrinseca; nam omnipotentia prout dicitur connexionem cum creaturis, intuitivè noscibilis est; & tamen noscitur secundum ordinem ad extrinseca.

Concedo Deum non posse videri adæquatè, quin attingatur quòd sit potens; sed nego; si in intuitiva, si in abstractiva id fieri non posse, si sint inadæquatæ: nec tunc intuitiva confundet Deum cum creaturā; intuitivè enim videbit, illum, non esse creaturam. Casu autem quo attingerentur solæ rationes communes, quid fieret? dicitur infra. Reliqua ejus Argumenta à n. 25. impugnant potius præcisiones objectivas.

NOTO 2. Quòd negari realiter de paternitate non possit Sapientia; quia aliàs daretur distinctio realis inter sapientiam & paternitatem; sed si negetur prædicatum visū, non sequetur hæc distinctio realis.

Quando enuntiatur hæc propositio: Paternitas existit, si ponantur tres existentia relative, nullo modo attingetur essentia; secus si negentur, quia hoc ipso, quòd importatur illic existentia, importabitur existentia naturæ; cum hoc tamen stabit, ut possit non attingi sub puro prædicato paternitatis; ad eum modum, quo in hoc termino natura Divina terminatur paternitate, est necesse attingi, naturam & paternitatem; sed non est necesse si attingatur natura, sub conceptu naturæ.

An autem sub hoc termino: Paternitas generat, respondeat natura, vel non? dictum in materia de præcisionibus.

Quamvis realiter paternitas sit essentia, quòd ex hoc si videatur paternitas non visā essentia, inferri non possit alietas realis, dictum supra: Cæterum si natura Divina quæ est à parte rei physicè, & prout est à parte rei physicè attingatur, attingentur & personæ.

Deinde videtur Quiros aliquid assumere difficile; nam ex una parte ponit quòd in intuitiva non sit necesse clare omnia prædicata exprimi, ut habetur num. 29. Ex altera parte docet, non posse videri unam personam, quin videatur alia; & tamen secundum priorem propositionem posset clare non exprimi, adeoque nec videri.

Quod autem dicit, Intuitivam in hoc stare, ut quamvis clare non exprimatur objectum, tal tamen sit in cognitione, ut nullo dissimile sit objecto

objecto reali, id verum est, de sola adæquata
notitia.

Nego ex dictis suprà, quòd Paternitas visa se-
cundum conceptum objectivum, sit essentia
identificans filiationem; nego concepto colore
concipi inclusionem formalem, vis v. g. produ-
ctivæ specierum, eritque tunc imago coloris in-
adæquata.

Concedo quidem quòd videns paternitatem
non possit reddere rationem de filiatione, sed
insuper addo, quòd nec sit opus filiationem ex
parte objecti necessarii secundum intuitivam
respondere; licet non possit respondere in co-
gnitione intuitivà nisi eà ratione, quā potest
physice existere, si intuitiva sit adæquata, secus
si inadæquata.

NOTO 3. Ad solvendas objectiones Amici.
Quando videntur perfectiones Divinæ omnes,
non esse illam infinitam visionem; nam in primis
terminus ipse, non est infinitus numero; nam
non sunt fortè numero infinitæ, perfectiones
primariæ: posito quòd sint intensivè infinitæ, ni-
hil sequitur, quia circa infinitum intensivè, po-
test versari finita notitia.

Si autem comparentur inter se visio totam
Deitatem, & alia eandem, sed inadæquatè at-
tingens, prior illa erit infinita terminativè, non
verò posterior, si infinitatis prædicatum non at-
tingat.

Concedimus ulterius visa Deitate, connatu-
ralem esse exigentiam ut videantur & persona-
litates, tanquam termini itemque attributa,
sed negamus id necessariò fieri.

Concedo intelligibilitatem, objecti fundari
in tota entitate, hoc sensu, quòd nihil sit in illo,
quod non sit intelligibile; sed non fundatur in
tota entitate, hoc sensu, ut non possit nosci quin
noscat & aliud. Unde potest aliquid imme-
diatè in seipso videri, sed in seipso inadæquatè
sumpto, adeoque cum præcisione.

NOTO 4. Illam visionem fore distinctam
specie à visione quæ de facto datur. Ratio,
quia aliud esset specie objectum huius, & aliud
specie objectum illius: immo nec esset illa præ-
dicta visio completè formaliter beatificativa;
quæ nondum intelligeret & possideret opti-
mum intelligibile: immo si attingeret illa notitia
illas rationes communes, eà nullo modo sunt
beatificativæ. Ratio est, quia beatificativum,
nihil potest esse nisi intuitio, & amor summi bo-
ni; rationes autem communes, non sunt sum-
mum bonum.

NOTO 5. Visio attingens in Deo essentiam
illius Divinam, seu Deitatem; quamvis non at-
tingeret personas, esset æquivalenter, licet ut
tota, non completè formaliter beatificata. Ra-
tio, quia ipsa essentia æquivaleret perfectione, tri-
bus personis; immo est ratio primaria excellen-
tiarum: Ergo & cognitio illius æquivalenter
est beatificativa, & æquivaleret cognitioni per-

sonarum. Si autem non attingeret Deitatem,
non esset beatificativa; quia non videret sum-
mum bonum.

DIFFICULTAS II.

De Objecto visionis secundario.

PRÆMITTO 1. *Videri in Deo creaturas.* Do-
cuit hoc Aug. in l. 4. ad literam de Gen. c.
21. usque ad 31. ubi cap. 23. inquit; *Multum quippe
interest inter cognitionem rei cujuscunque in verbo
Dei, & cognitionem in natura illius, ut illud, meritò
ad diem pertineat, hoc ad vespèram.* Unde Theo-
logi notitiam creaturarum in illismet ipsis ap-
pellant vespèrtinam, priorem matutinam. Ra-
tio etiam præmissi potest haberi, ex dictis suprà;
si enim Deus potest in se videre, & noscere crea-
turas, cur etiam id creaturis non concedatur, ut
seipsas in Deo videant.

PRÆMITTO 2. *Non posse scholasticè disputa-
ri, quasnam creaturas videant Beati in Deo?* Con-
sentiunt Auctores, quòd non ignorent ea, quæ
in hac vita conabantur scire; id enim pertinet
ad cumulum beatitudinis: Noscent etiam archi-
tecturam mundi, pars enim appetit, sui totius,
perfectionem nosse; noscunt item spectantia ad
suum officium; & ita Patriarchæ Ordinis no-
scent facta sui Ordinis. Vide Less. L. 2. de sum.
Bono c. 9.

PRÆMITTO 3. *Hoc esse in presenti maximè
disputabile; An omnes possibiles creaturæ possint vi-
deri in Deo?* Thomistæ negant, licet concedant,
quòd Christus D. de facto futura per totam æ-
ternitatem noscat. Sed id possibile esse docent
Scotistæ, Meracius, Herizæ, Quiros d. 32. n. 10.
Jof. Aug. q. 12. a. 8. n. 40.

DICENDUM est; *Non implicare contradic-
tionem, ut videantur in Deo omnes possibiles creaturæ:*
Quæ enim implicantia? Tota probatio stat in
solutione argumentorum.

OBJICITUR 1. Talis visio & esset finita; quia
infinitum repugnat; & non esset finita, quia visio
plurium & plurium, est perfectior præ visione
pauciorum: Ergo visio infinitorum, erit infinita.
Idem sic proponitur. Talis cognitio attingeret
omnia possibilia, ergo esset inter omnes cog-
nitiones suprema, nec posset excedi, ergo esset in-
finita.

RESPONDETUR 1. Retorq. arg. de Chri-
sto D. noscente futura tota æternitate, quæ sunt
infinita. Rursus de cognitione, quæ non im-
plicat, omnium partium proportionalium.

RESPONDETUR 2. Secundum dicta suprà;
illam notitiam terminativè fore infinitam, non
verò entitativè.

RESPONDETUR 3. Cognitionem plurium
& plurium, non esse hoc ipso intensivè vel enti-
tativè perfectiorem; nec bene inferitur ex plura-
litate objecti, major excellentia cognitionis,
quod videre est in cognitionibus diversis ordinis;
S quia

R. P.
H. M. LOD
NOWSKI
Bm. de Z.
VI

quia perfectior est notitia, quā Angelus noscit unitatem, quā quā bos, videt totam sylvam. Id etiam est in cognitionibus ejusdem ordinis. nam una demonstratio de uno objecto potior est mille opinionibus de centenariis objectis. Rursus non est major infinitas Divinæ essentiae secundum spectatā, quā omnium possibilium; & tamen prior illa notitia, non trahit secum infinitatem; Ergo nec trahet posterior. Immo nec in lumine concurrente ad talem notitiam ponenda erit entitativa infinitudo; sicut nec in lumine gloriæ præsentante Deum, nec in lumine, quod habet Christus D. ad noscenda futura tota æternitate.

OBJICITUR 2. Si possibile esset visio omnium possibilem, videret etiam seipsam perpetuò duraturam; si videret seipsam perpetuò duraturam, videret se nunquam etiam divinitus desitutam, quod falsum est. Seq. probatur, quia inter alia possible, videret possibilem actum scientiæ, vel fidei supernaturalis, qui dicat; Hæc visio erit æterna, qui actus, quia erit supernaturalis falsus esse non poterit; falsificaretur autem si objectum illius desineret. Hoc argumento utitur Lugo d. 19. de Incarn. S. 1. eique respondet tota Disp. 33. Quiros: Quibus missis

RESPONDETUR, quod actus ille supernaturalis, qui diceret duraturam esse visionem æternam, diceret illam duraturam æternam eo modo, quo est duratura, aliàs falsò diceret; modus autem quo esset duratura est, si Deus velit, consequenter non ligabit Deo manus, ne oppositum velit: unde non nisi ex suppositione illius decreti, durationem habebit. Quamvis autem concedatur, quod visio naturæ suæ sit incorruptibilis non sequitur, quod essentialiter petat durare in æternum; sicut nec idem sequitur ex incorruptibilitate Angelorum. Habet quidem proportionem & exigentiam, ne formetur decretum de illius corruptione, sed non habet exigentiam indispensablem, & cui Deus contravenire non possit. Ad ea quæ opponit huic responsioni Quiros: solvenda

ADDO. Quod Creatura essentialiter immortalis requireret quidem decretum Divinum in ordine ad primam sui productionem, sed non requireret ad sui conservationem; visio autem, de quā hîc, requireret etiam hoc posterius decretum.

OBJICITUR 3. Si possibile foret visio omnium possibilem, illa visio videret seipsam, & non videret; non videret quidem; quia nulla cognitio potest videre seipsam; videret autem, quia esset inter possible.

RESPONDETUR ex Anim. eandem in re cognitionem, licet sub diversâ formalitate, posse seipsam videre.

OBJICITUR 4. Non potest communicari cuiquam, ut eodem terminos habeat suæ po-

tentia quos omnipotentia; Ergo nec communicari scientia, quæ extendatur ad eodem cum Deo terminos.

RESPONDETUR. Neg. Conf. disparitas, quia nihil potest producere seipsam primò, & tamen illud ipsum, potest producere omnipotentia; Ergo jam non idem erunt utriusque termini; non est autem absurdum, ut aliquis seipsum sciat.

OBJICITUR 5. Omnia possible sunt indeterminata; Ergo per determinatam visionem videri non possunt.

RESPONDETUR in primis retorq. arg. de notitia futurorum in Christo D. Deinde omnia possible falsum est, quod sint indeterminata quoad entitatem; hinc & nosci poterunt; licet sint indeterminata, hoc est, non exhaustibilia per finitas mensuras, & non tot, quin plura.

QVÆSTIO III.

De Inæqualitate, & Æqualitate visionis.

PRÆMITTO 1. *Inæqualitas, vel æqualitas visionis potest attendi, primò circa inæqualitatem, vel æqualitatem visionis intensivam, vel circa æqualitatem, vel inæqualitatem extensivam.* Intensiva est, quando unum idemque objectum, æquali, vel inæquali intensione attingitur. Extensiva est, quando plura vel pauciora objecta attinguntur. Secundo æqualitas & inæqualitas potest attendi circa objecta tam increata, quā creata in Deo visa. Supponit hoc præmissum, quod unum idemque objectum possit majori, & minori claritate percipi, ut melius, percipiunt exercitati demonstrationem, quā incipientes.

PRÆMITTO 2. *Inæqualitatem visionis non posse præcisè haberi respectu Dei visi;* hîc enim ab omnibus videtur, sed debet haberi ratione intensivæ, vel extensivæ.

PRÆMITTO 3. *De factò dari inæqualitatem visionis beatæ.* Ita S. Paulus 1. Cor. 13. & 15. & 16. & 2. Cor. 9. Item Flor. in literis unionis. Nec in oppositum est parabola de denario diurno, æque primis ac novissimis dato; quia non est necesse, ut in omnibus similitudo teneat: tenet in hoc, quod omnibus detur beatitudo essentialis, sicut denarius. Difficultas stat in hoc, unde desumatur hæc Inæqualitas?

DICENDUM 1. *Actus visionis à perfectiori potentia elicitos, esse perfectiores entitativè, præ actibus imperfectioris potentia.* Potest pro hac sententia citari Scotus, Duran. Palud. Lessius, Mol. apud Mart. d. 8. n. 61.

PROBATUR 1. quia si intellectus perfectior non produceret perfectiorem entitativè actum visionis, & haberet vim inchoatam ad eandem,

namque, ut supponitur; & non haberet, quia secundum illam vim non concurreret, planeque nulla esset, ac si non esset; siquidem secundum illam non operaretur: quod ipsum prob. Si enim concurreret cum dicta vi inchoata, concurreret cum vi dandi speciem proportionatam actui; & sicut cum concurrat plenè vi dat plenè, & solus perfectiorem entitatem suo actui, ita cum concurrat cum vi inchoata, concurrat cum vi inchoatè dandi speciem proportionatam. Deinde, quando intellectus concurrat secundum vim inchoatam non ad materialem, sed ad spirituale notitiam concurrat; Ergo etiam cum concurrat ad visionem secundum inchoatam potentiam, producat perfectiorem, & proportionatam sibi actum quoad dignitatem Entis. Et sane Basilii obicit, id asseri debet, ut intellectus servata hac conditione agendi, producat actum, ut ita melius ostendatur, perfici à supernaturalibus naturalia.

RESPONDEBIS. Per vim inchoatam non debet intelligi aliud, quàm quòd similes suo modo ponat actus naturales.

CONTRA est, si similes suo modo ponit actus naturales, ergo cum ponat in ordine naturali entitates perfectiores, etiam in ordine supernaturali ponet entitates, intra ordinem supernaturalem, perfectiores.

PROBATUR 2. Actus naturales potentia
perfectioris sunt perfectiores entitativè; Ergo
actus visionis positus à potentia perfectiori,
est perfectior quoad entitatem. Ant. prob.
Tum, quia id offendit inductio, nam intellectio
Angelica præ humana, hæc præ materiali &c.
est perfectior. Tum, quia potentia saltem se-
cundò essentialiter est ad actus, ergo potentia
perfectior saltem secundò essentialiter, est ad a-
ctus entitativè perfectiores; sicut enim se habet
simpliciter ad simpliciter, ita tale ad tale. Tum,
quia perfectionem potentia arguimus ex perfe-
ctione entitativa actuum. Conf. prob. Tum,
quia illa elevatio quamvis perficiat intellectum,
tamen non destruit naturam illius, & vim in-
doleatam; Ergo si natura illius potentia nata est
talem in specie entitativa actum producere, e-
tam elevata produceret. Tum, quia Eleva-
tio non obest, quo minus adhuc ille actus sit vi-
talis vitalitate, quam aliàs haberet, quæ trahit
perfectionem illum gradum Entis &c.

PROBATUR 3. à pari. Actus fidei Divinæ,
elicitus ab Angelis viatoribus, fuit perfectior
essentiativè, ab actu fidei elicitò ab homine, ut
concedunt oppositi; Ergo idem dicendum de
visione.

RESPONDEBIS I. cum Lugo. Intellectus
quicumque elevatur ad visionem quâ formaliter
intellectus est, adeoque non ut humanus, vel ut
angelicus: at verò species naturalis, elevatur ad
intellusum fidei, quâ hujus, vel illius species, ad-

coque quâ perfectior, vel imperfectior est: sic v. g. si Deus elevaret duos calamos aureos, unum bene, alterum malè aptatum, utrumque tamen ad formandoſ characteres aureos, tunc melior formaret perfectiores, alter rudes, uterque aureos; idque ideò, quia ſunt elevati ſecundùm quod apti fuerunt; idemque contingit dum elevantur ſpecies ad actum fidei: jam autem ſi aqua & vinum eleventur ad producendam gratiam, utrumque æqualiter produceret, quia elevata ſunt, quâ formaliter Ens, non quâ tale, vel tale Ens: & hoc modo elevatur intellectus humanus & Angelicus ad viſionem; quia viſio non poſtulat eſſe modo Angelico, vel humano, ſed ſupernaturali fieri.

CONTRA est. Tum, quia non fit elevatio speciei, & intellectus ad actum fidei, nisi secundum quod est talis intellectus; Ergo & ad visionem eodem modo fiet. Non exigit fides Theologica ut humano vel Angelico modo fiat, sed supernaturaliter, & tamen perfectior intellectus elicit perfectiorem actum fidei, ergo idem in presenti. Tum, quia non datur in creatis distinctio virtualis intrinseca; Ergo si intellectus elevatur, elevatur ut talis. Tum, quia redit quaestio: Cur intellectus in ordine ad visionem non ita elevatur, ut elevatur duo calami inaequaliter aptati? De elevatione vini & aquae disparitas est, quia neutrum illorum habet vim inchoatam productionis gratiae, hinc ratione illius vis inchoata, utpote quae carent, non habent titulum determinandi sibi speciem entitativam; Intellectus autem elevatur secundum vim inchoatam.

RESPONDET 2. Arriaga. Non tenet à particulari ad universale consequentia; Particulare autem est à causâ perfectiori perfectiorem produci effectum, nec est necesse aliam disparitatem reddere, quàm reducere id in propriam naturam speciei impressæ, quæ si sit perfectior, & eleveur, perfectiorem actum producit. Directè etiam disparitatem dat, quia Deus non elevat intellectum ad actum fidei, nisi ad similitudinem actus naturalis fidei, qui tunc haberetur, & supponitur futurus perfectior; intellectus autem noster non elevatur ad visionem Dei, dependenter ab actu naturali, sed dependenter à meritis.

CONTRA est. Tum, quia non ostendit rationem, cur dicta consequentia non sit una ex istis, Petrus est animal rationale, ergo & omnis homo. Tum, quia nego hoc esse particulare in actu fidei, sed esse universale in omni actu vitali. Tum, quia dicam etiam esse de natura intellectus, ut perfectior perfectiorem entitativè producat visionem. Tum, quia elevat Deus ad actum fidei proportionatè ad actum naturalem; Ergo eodem modo elevabit ad visionem proportionatè ad perfectionem intellectus.

S 2

tellectus. Tum, quia quamvis intellectus elevetur secundum proportionem meritum ad dignitatem formalem intensivam, extensivam &c. visionis, non tamen dependenter à meritis, elevatur, ad dandam hanc speciem vitalitatis actui.

DICENDUM est 2. *Diversas esse specie extrinseca visiones ratione diversorum objectorum.* Ratio, ab objectis enim, etiam alii actus specificantur.

OBJICITUR 1. ex Arriaga, Sol est multo perfectior quam ignis, & tamen producit calorem ejusdem speciei cum calore ignis; Ergo idem dicendum de visione.

RESPONDETUR. Ant. fortè esse dubium. Sed & disparitas est; quia cum calor non determinet sibi certum principium, nec deposcet ut secundum perfectionem principii perfectior ponatur; jam autem visio Dei profecta ab intellectu Angeli, deposcit non nisi intellectum Angelicum; quod negat quidem Arriaga, sed immerito, præcipue cum in nostris principiis intellectio, consequenter & visio, non producatur actione intermedia. Deinde posset etiam in principiis Arriaga actus fidei elicited ab hac specie, produci ab alia, & tamen perfectior producitur à perfectiori specie; Ergo idem dicendum de visione.

OBJICITUR 2. Intellectus concurrat ad visionem per potentiam obedientialem; hæc autem est æqualis, in omnibus Intellectibus.

RESPONDETUR. Retorq. arg. de fide, de actu prudentiæ supernaturalis digniori, præ actibus supernaturalibus voluntatis: directe autem distinguitur Major. Intellectus concurrat ad visionem per potentiam obedientialem; hoc est non habet vim completam nisi adjuvetur principio elevante, Conc. Major. concurrat per potentiam obedientialem, hoc est non concurrando secundum vim suam inchoatam. Nego Majorem. Unde ulterius dico; Formalem inæqualitatem sequi merita, sed non inæqualitatem in ratione specifica Entis.

OBJICIT 3. Petrus à S. Joseph hic c. 9. Gloria responderet gratiæ; at hæc est ejusdem speciei in omnibus Beatis.

RESPONDI jam immediate: Gloriam non nisi formaliter acceptam respondere gratiæ; & quamvis omnes intellectus eleventur per lumen ejusdem speciei, quia tamen id quod elevatur secundum vim suam inchoatam non est ejusdem speciei, nec actus erunt æquales; consequenter dico visionem perfectam, secundum conditionem materialem, & entitativam ab alia æquari non posse, sicut nec Intellectio Angelica ab humana, licet possit æquari quoad esse formale, claritatem &c.

DICENDUM 3. *Quod principium effectivum inæqualis intensivæ debeat referri in lumen gloriæ:* non enim potest referri in ipsum intellectum, alias infimus Angelus intensius videret præ Beatissimam; non in ipsum objectum quia hoc non intendit, sed terminat; Ergo in lumen gloriæ; in quid enim aliud? sed extensiva inæqualitas, debet referri in Deitatem; hoc enim innuit, illa phrasis dum appellatur Deitas speculum voluntarium: & si hoc referretur in lumen gloriæ, quoties de novo vellet Deus aliquid in se manifestare Beato, deberet mutare lumen, vel novum addere, quod est multiplicare Entia. *Ad solvendas Objectiones*

NOTO. Sicut intellectus, quamvis sit potentia necessaria, non omnia noscit; sic nec lumen gloriæ; hoc autem complementum, est, applicans sese illi objectum, quod est Deitas; quæ omnes quidem res æqualiter repræsentat, sed non nisi, si velit. Ut autem transeat ad esse volentis, intervenit vel æquivalentia actus in Divina voluntate, vel mutatio extrinseca in creatis, hoc est apparentia creaturæ. Quando autem S. Thom. negat diversitatem visionum summi ex objecto gloriæ, loquitur de diversitate secundum intensivam.

Quæri solet. *An de facto in hac vita visus fuerit Deus à creaturâ?* Negat Mol. Suar. Vasq. Gran. Amicus propter illum locum, *Deum nemo vidit unquam.* Suar. & Vasq. excipiunt Beatissimam, dicuntque illam videri esse essentiam Dei, sed non ante Incarnationem Verbi. Moyse, & S. Paulo tribuit illam Duran. Sotus, Scotus, S. Thomas, & Aug. Alii tribuunt aliis SS. posset tribui & nostro S. Patri in visione Manresanâ.

